

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE NATIVITATIS MARIAE. EVANGELium Matthaei I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

de & sua inter credentes non fraudatur memoria. A-
per- te enim ipsius vitæ historia, qualē se accepto spiritu san-
cto gesserit, describitur: nimirū in fide constantē, in spe
firmum, in amore ardentem, in patientia vsque ad mortē
immobilē. Et hec omnia eiusmodi sunt, quæ rectē quem-
libet pium, maximē Apostolum decet. His, si vitam no-
stram probē cōtulerimus, rectē hanc festiuitatē celebra-
bunt. Hic enim quod nobis deest, inueniremus: hic est,
vnde vitam nostram emendaremus. Atque hac ratione
manifestum esse arbitror, quomodo ex festis Apostolo-
rū vtilitati nostræ cōsulere possēmus, modō volūtas ad-
esset. Et hāc ergo ipsam Dei nobis præstet gratia, Amen.

IN DIE NATIVITA-
TIS MARIAE. EVANGE-
lium Matthæi 1.

*confer Ezechiel
12. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*

Liber generationis Iesu Christi filij Da-
uid, filij Abrahā. Abrahā genuit Isaac.
Isaac autē genuit Iacob. Iacob autē ge-
nuit Iudā & fratres eius. Iudas autē genuit Pha-
res & Zarā de Thamar. Phares autē genuit Es-
rom. Esrom autē genuit Arā. Aram autē genuit
Aminadab. Aminadab autē genuit Naafon. Naa-
fon autem genuit Salmon. Salmon autē genuit
Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex
Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem
genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex ge-
nuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriā. Salomon
autem genuit Roboam. Roboam autē genuit
Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem ge-
nuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram.
Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem ge-
nuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. A-
chaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem
genuit

genuit Manassen . Manasses autem genuit Amon . Amon autem genuit Iosiam . Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis . Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel . Salathiel autem genuit Zorobabel . Zorobabel autem genuit Abiud . Abiud autem genuit Eliachim . Eliachim autem genuit Azor . Azor autem genuit Sadoc . Sadoc autem genuit Achin . Achin autem genuit Eliud . Eliud autem genuit Eleazar . Eleazar autem genuit Mathan . Mathan autem genuit Iacob . Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

EODEM FESTO DIE

Epistola Prouerb. 8.

Dominus possedit me initio, in viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erāt abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constitierant. Ante omnes colles ego parturiebar: Adhuc terram nō fecerat, & flumina, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos. Quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum, & legē ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Et
delecta-

delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludens in orbe terrarum, & delicia mee esse cum filiis hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinā & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui vigilat ad fores meos quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

SERMO PRIMVS.

Nomen ac originem huius festiuitatis neminē igno-
rare arbitror, etenim natiuitati Mariæ hæc dies fa-
cra est. Sed qua ratione eadem, rectē pieq; celebretur, fortē non ita omnibus manifestum est. Id ipsum ergo paucis mihi indicandū est. Ac principio cū Ecclesiæ consuetudo sit, sanctorū natales, emigrationis ab hoc seculo die cuiusque celebrare, illud hic cogitandum est, quomodo non sine causa factum sit, vt hanc ingressus in hūc mundum virginis diem totum lætitiæ solenni consecremus. Neque enim alioqui, nasci hominē, nouum aliquid est. Generatio præterit & generatio redit, terra autē consistit in æternū. Nasci & mori proprium est omnium creaturarum sub cœlo viuentium. Sed hæc peculiare aliquid natiuitas habet, cuius causa meritō totus mūdus exultat. Id quale sit quæris: Ecce David regi electo promiserat Deus semen, cuius regnum perpetuū constaret. Dixit enim ipse de Deo: Iurauit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eū. De fructu vētris tui ponam super sedem tuam. Et alio in loco: Fidelis erit domus tua, & regnū tuū, vsq; in æternū ante faciē meā, & thronus tuus erit firmus iugiter. Vnde & David ait: Misericordias domini in æternū cantabo. Quoniam dixisti: Disposui testamentū electis meis, iuraui David seruo meo, vsq; in ænum præparabo semen tuū, & ædificabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedē tuam. In hac promissione non modō David, sed omnium spes credentium acquieuit: nempe ex David processurum esse aliquem, qui regeret atque liberaret Israël populū Dei. Et hæc ipsa promissio pulchrē succedebat aliquo tempore sic

Eccl. 1.

Psal. 131.
2. Re. 7.

Psal. 88.

Gaud et op
quod pro asse
morte et po
in fide

re. Sic enim hodiernum Euangelium docet: David Rex genuit Salomonem. Salomō autem genuit Roboam. Roboam genuit Abiam. Abia autem genuit Asā: & sic consequenter vsque ad Iechoniam, aut potius Sedechiam. Per multas enim generationes regni successio in David hæredibus permansit. Sic Sedechia in Babylonē abducto, & Ierusalem regiaque sede destructis, finem habere promissionem hanc æternitatis regni David, videri potuit. Et quanquam nonnulli sanguinis David è Babylone domum reuerterentur, regali tamen diademate carebant. Postea etiam Machabæi rerum potiebantur, quousque tandem ad Herodem, & alienigenas ad Romanos regnum delaberetur. Finem ergo habere David regnum & hæreditatem videri potuisse. Reliquiæ enim eius sanguinis ad eam paupertatem redigebantur, vt victum manu quærere cogerentur. Id quod in Ioseph sponso Mariæ, fabre lignario videre est. Finem igitur semen regium habebat, sed verbum Dei finem non habebat, imò verò hoc maximè vigeat atque triumphabat. Verbum Dei impleri oportuit, inquam, atque semen Dauidicum suscitari, pristinamque imò verò maiorem quam vnquam habuisset gloriam recuperare debuit. Atque horum quidē omniū hæc dies initium est, in qua hæc virgo nostra de David stirpe nata est. Per hanc enim rursus exuscitatum est semen David, & in huius filio ad amissam regalem dignitatem, imò ad multo ampliorē prouectum est. Quod enim amiserat regnū tēporale erat, quod recuperavit spirituale atque æternum, illud super omnes homines. Hoc modo sanguis David regius, qui aliquandiu latuerat, virginis partu exurrexit. Verum id nemo illo quidem tempore opinari aut sperare potuit, alioqui enim omnes turmatim aduolassent, tantamque natiuitatem celebrassent festiui. Nos ergo vt hæc se ita habere non ignoramus, ita alacrius hanc diem frequentiori deuotione celebramus, canentes: Natiuitas tua DEI genitrix virgo gaudium annunciauit vniuerso Mundo, ex te enim ortus sol iustitiæ CHRISTVS DEVS noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam. Hæc ipsa, hac solenni festiuitate de Maria eiusque filio Iesu Christo

*amisso tempore
nunc fit puer
et phariſæus*

ns

Christo

Isa. II

Christo modulatur. Quæ tamen Isaias Propheta iam antè dudum apertè satis prædixerat: nimirum defectionem regni David, & pullulationem in virgine atque filio virginis. Initio enim prophetiæ suæ calamitatem Ierusalem atque Regum per multa capita docet, tandè verò hanc consolationem subnectit. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini, non secundum visionem oculorum indicabit, neque secundum auditum aurium arguet: Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in aequitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorum renum eius. Habitat lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia domini, sicut aquæ maris operientis. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et in die illa, adiciet dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aetypia, & ab Elam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt. Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit cōtra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistinim per mare, simul prædabuntur filios orientis. Idumæa & Moab præceptum viamus eorum, & filij Ammon obediētes erunt. Et desolabit Dñs linguam maris Aegypti, & leuabit super manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, vt transiant per eum calcea-

Vide ergo an non Isaias eam propriè depinxit? Et qua meliore forma eam rectius magisq; propriè depingere potuisset, etiam si coràm vidisset? Et huc quoque pertinet, quod non primo aut veteri ramo, sed ipsa ex radice ortà scribit. Vult enim hoc ipso eam vti Dauid filiam radici quam ramis similiorem fuisse, hoc est, veras genuinæ virtutis formas Dauidis atque Iesse, non dedecus succedentium Regnum expressisse, innuere. Omnes enim fere Reges in hac Dauid linea impiè vixerunt, ita, præter vnum aut alterum, neminem Dauid virtute inueniamus similem. Hæc verò ipsam originis naturā expressit, vnde non ramis, sed ipsa radice ortam dicimus. Et huc pertinet, quod ipsi Ecclesia accinit: Tu (Maria) pios patrum mores ostētas in te, sed excellis eosdē. Patris tui Salomonis in te lucē Sophia. Et Ezechie apud Deū cor rectum, sed nunquam in te corrumpendum. Patris Iosæ adimpleuit te religiositas, summi etiam patriarchæ te fides totā possedit patris tui. Atque in his quatuor, sapientia, hoc est, Dei cognitione, iustitia cordis, deuotione mentis, & vera fide, radices huius consistit natura. Et hæc omnia in virgine nostra consideramus, & quidem cum aliquo etiam perfectionis augmento, quod in quatuor his patribus non fuit. Salomon enim sapiens fuit, tandem verò furijs agitur stultus mutatus est. Hæc autem non sic. Sic Ezechie quidē cor apud Deum rectum fuit, sed non sine flexura. Thesauros enim Babylonie Legatis ostentans suos, in superbiam mentis incidit. Hæc verò non ita. Cor enim rectum habuit, & custodiuit. Ita & Iosæ magna fuit in instaurandis ijs, quæ ad culum Dei, diligentia: verum nec ipse sine peccato erat. Hic verò nihil præter meram pietatem consideras. Sic denique Abraham Deo sterili Sarai filium promittenti credidit: verum hæc præstantiorē fidē exhibuit, dum Angelo nunciante, futuram se virginem sine virili semine matrem, credidit. Veram ergo hanc virginem sanctæ radices habuisse naturam vides. Vnde rectē Prophetæ noster de ipsa radice exiuisse eam, perscripsit. Quæ cum ita sunt, non est difficile videre, cur hanc diem natalem eius virginis festam peragimus. Vtique pro infallibili Dei veritate tua promissionis suæ post tot annos non oblitus,

*Similia sunt
filiis No. ut dicitur*

ver-

verbum suum adimplevit, lætamur. Lætamur & pro
 omnipotente virtute ipsius qua collapsam David do-
 mum tam potenter ac miraculose erigere potuit. Læta-
 mur & pro bonitate ipsius, qua nullius hominis quan-
 tumlibet enormi peccato à suo proposito defecti vult.
 Lætamur denique atque admiramur, quod hanc virgi-
 nem mox natam, ad radicis naturam, ordinavit. Atque
 hinc vota gemitusque nostri sunt. Precamur enim, ut in
 nobis etiam veritatem, potentiam, bonitatem, gratiam
 amoremque suum ostendat. Hæc huius festivitatis causa
 est, quæ qua ratione celebranda sit, Ecclesia vno verbo
 docet, cum ait: Natiuitatem virginis celebremus, Chri-
 stum eius filium dominum nostrum adoremus. Vides er-
 go quâ nihil Ecclesia Christi honoribus hac festiuitate
 detrudere conetur. Id quod falso quidam ipsi impingunt.
 Manifestam enim diuersitatem inter hanc virginem ma-
 trem, eiusque filium ponit, tantumque illius quidem memo-
 riam peragit, hunc verò etiam adorat. Hanc ergo diffe-
 rentiam hic atque alijs omnibus festiuitatibus obserue-
 mus: natiuitatē virginis celebremus, Christum adoremus.
 Diuersissima utique sunt celebrare atque honorare. Nā etiā
 alias celebrare possumus. Deus autē solus adorandus est.
 Propter hūc em̄ pater De⁹ virgā Iesse florere fecit. Ipse
 flos est, quē virga Iesse protulit. Ipse benedictus fructus
 vētris Marię. Vnde & ipsi Ecclesia corde atque ore meras
 atque solidas laudes decātat. Ecce qua ratione Ecclesia Di-
 uorū memorias celebrat, eorūque suffragia petat, propriē
 tñ à Christo pēdet. Hūc respiciti, adorat uti vnicū Dñm.
 Sic sequere, nec offendas. Gratia Dei nobiscū. Amen.

S E R M O S E C V N D V S.

In festo natiuitatis Marię, quo die R. P. Ioan. Ferus

huius postille autor, animam quam acceperat,

Deo (magna fundi nostri cala-

mitate) tradidit. Anno 1554.

Cum veterum Ecclesię procerum scripta reuoluo,
 non possum, nisi peculiari quadam eos deuotione
 affectos fuisse, quandocunque de Ecclesię solenni-
 tatibus scriberēt dicerētque, vel cōsiderare vel iudicare:
 nempe non se solos erga Deū rectē affectos esse sciebāt,
 verumetiam pietatis deuotionisq; autoris ardorē in ad-

iutoribus considerabant. Verum (dolor) nunc planè videas contrarium. Vt enim magnam illi ex plebis pietate alacritatem conceperunt: ita ingens tadium, pertinax vulgi impietas nunc prædicatoribus ingerit. Nuper cum assumptionem huius virginis matris celebraremus, dicebam: nunquam plures querelarum obiurgationumque causas Ecclesiasticis obrudi, quam festis diebus inò necessarium video, semper atque de integro in contentionum palestram descendere, noua nouis insidijs arma opponere, nunc contra hæreticos, nunc aduersus personatos Christianos, nunc contra temerarios, nunc contra hypocritas, nunc contra negligentes, nunc denique contra supersticiosos. Hos enim nunc omnes permixtos videas, & sanè plures malos paucioribus bonis. Et quæ Ecclesiasticæ voluptas erit in tanta auditorum varietate? Alij festos dies plane respiciunt, alij manere quidem illos, sed non vti debet obseruare volunt, cum plus Iudaismi inducunt, quàm quod Christianum est seruant. Alijs etiam plus externa pompa, quàm interna pietas sunt. Alijs etiam non tam pium exercitium quàm reprehensibile otium sunt. Atque ita in festiuitatibus videas, quæ multum tadium pariant. Sed non ideo omnino silendum est. Quir peruersorum abusus pijs fraudi erit? An fortè ideo vineæ colli non debeant, quod multi vino inebriantur, multaq; mala moliantur? An ideo bonus ager desertus relinqui debet, quod nonnunquam in bono fructu suboriatur zizania? Hoc nemo prudens approbauerit. Quir igitur in Ecclesia omnia pessum ibunt, quia quibusdam pertinacibus quædam displicent, quibusdam abutantur? Nemo Christianus hoc dixerit. Agè igitur minus causa est, vt hanc festiuitatem reicias. Suis enim patres commodis illa vti potuerunt, multa pie meditati sunt in ea, deuotionem pietatemque hausierunt ex ea: quod si in nobis in idem fructifera est, non festiuitas, sed nostra negligentia in culpa est. Neque enim alia, in quibus amplius multo situm est, nostris vsibus vtile impendere possumus. Quot enim sunt, quibus nec Sacramenta, nec Euangelium, nec ipse etiam CHRISTVS quicquam prodest: dum nullam inde nec pietatem nec spem concipiunt? Et quid miramur talibus hanc quoque festiuitatem parum

plures rursus
 sumus in
 quibus huius

166 sumus

parum adferre commodi: satis est multorum eam olim
 deseruisse commodis, atque pijs mentibus etiamnum
 commodare. Atque horum tantum causa fufius aliquan-
 to hac de re libet differere. Et quidem nemo miretur,
 nos huius virginis in Ecclesia toties, & cum quadam e-
 tiam piarum mentium iucunditate, cum laude, cum gra-
 tiarum actione, cumq; honorificetia memoriam celebra-
 re. David enim Dei opera cum laude atque admiratione
 meditari in omnibus etiam creaturis, in quibus nec vita
 nec intellectus est, mandat: & quid in hac creatura, in
 qua Deus ipse maxima omnium magnalia sua irrefraga-
 biliter operatus est? Et quidem verè Christianus quis-
 que Christum summam spem fiduciamque summumque
 bonum semper ducit, et quæ ratione hic matrem Christi
 nisi omni dignam honorificentia, ducet? Qui me diligit
 (proverbium est) etiam canem meum diliget. Si quis
 Christi amator est, sanè quæ Christi sunt diliget. Qui
 Christum amat, non potest eius matrem odisse. Et in ve-
 teri testamento Iuda domus honorifica erat omnibus,
 eò quod ex ea Christus nasciturus erat. Iuda, inquit Iac-
 ob, te laudabunt fratres tui: & quæ reuerentia dignam
 iudicabimus eam, quæ suæ ex naturæ substantia hunc
 nobis Christum hominem genuit? Quod si cui ager est
 vberior bonorum fructuum, utique eum maiori in pre-
 tio, & cariorum habet: & nobis Maria præter alias mu-
 lierculas gravior non erit? Nempe qui hanc nobis solam
 cœlestem illum panem protulisse nouimus, qui mun-
 do vitam præstat: & veram vitam, quæ fructuum suorum
 dulcedine omnem lætificat. Agè ergo minùs diffidam,
 fore, ut si quis piè sentiat Christianus, his rationibus mo-
 tus hanc festiuitatem nihil arbitretur superfluum esse, e-
 tiam si sæpius in Ecclesia Mariæ celebremus memorias.
 Et hæc quidem in genere, hac de celebritate dicta sint:
 nunc verò ad alia quædam eiusdem generis accingar. Ac
 principiò quidem, ut rudiores aliquatò rectius huius fe-
 sti causam intelligat, quid vtilius faciam, nisi ut re ipsam
 ex èplo siue similitudine proponā, nescio. Si cui arbor est
 ingenua, vnde pretiosos fructus sperat: utiq; exultat, cum
 eam ià assurgere, roburq; sumere, gēmas protrudere vi-
 det, fructus expectatos sibi pollicetur: si verò per accidēs

*a minor ad
 malum. Et
 ubi in dani-
 e. Lamentatio
 dny dei
 iacob in
 ambabus.*

*Domus Iudæ
 Gen. 49*

*a minor ad
 malum*

a pueris

Rom. 11.

inexpectatum læsa non augetur, si rami eius arcescunt, iam totius arboris interitum timet, deque spe atque expectatione omni labitur, nimirum si diuturnior fuerit calamitas, quod si postea longo temporis intervallo rursus virgulam prodeuntem, floremque germinantem viderit è radice arboris, certum omnem spem ipsius renouari, & quo antè desperauerit magis, eo amplius exultare, & pro subnascentis virgulæ amenitate omnis spei recuperationem sibi promittere. Vt enim certum est perituram esse arborem cuius rami arcescunt, ita spes est vires resumere virescentem. Quod si oculos attollere libet, similia hic videbimus hodie. Quid enim hoc Evangelium præter arborem, ex qua CHRISTVS nasciturus erat, indicat? Et quis hanc arborem nouissimè aridam festam propè perijsse ignorat Scripturarum lector? Hæc præcipua hodierni gaudij causa est. Hodie enim nobilis atque veneranda David Abrahamiq; stirps, ex qua quidem exoriri CHRISTVS saluator debuit, quæ propè interierat, in Mariæ natiuitate reffloruit, floremque nobis exhibuit, ex qua postea fructus salutifer ortus est. Hæc credentibus nobis huius festiuitatis causa est & gaudij. Et hic faciliè videre est, quàm multa hinc consideranda veniant. Nemo autem miretur quod David Abrahamiq; stirpem, arbori: Mariam, flori: CHRISTVM fructui comparauerim. Ipse enim Paulus huius rei mihi occasio est, dicens: Et si radix sancta, & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radices & pinguedinis oliuæ factus, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Disce ergo: fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Manifestum est Paulum his verbis Abraham stirpem arbori comparare: indicans Iudeos veluti natiuos ramos, propter incredulitatem ipsorum excisos esse: nos verò ex gentibus, quasi degeneres oleastros, ipsorum loco, in bonam arborem insitas esse per gratiam, ita vt non minus ipsi nunc pinguedinis & promissionis, quam radix ipsa tenet, capaces simus atque parti-

participes, quàm si ex ipso Abraham iusta propagine ori essemus. Hac ratione eo in loco Paulus ista collatione vitur, sed ad institutum nostrum nihil: tantum enim quod Paulus Abraham stirpem arbori compareret, indicare volui. Sed & aliàs non infrequens Scripturis loquendi mos est, ut hominem arborem dicat. Sic David virum iustum collatione arboris, fructum suum in tempore proferentis, describit. Ieremias hominem in Deum confidentem arbori confert, quæ iuxta aquas plantata, ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstas, cuius folium viride, & in tempore siccitatis non sit sollicitum, nec aliquando desinit facere fructum. Qui autem confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, erit quasi mirica in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra falsuginis & inhabitabili. Et Evangelio frequens id genus dicendi est, de bona malæque arbore. Tum etiam Philosophi hominem arbori comparant cum immerfam eum arborem dicunt. Quemadmodum enim in arbore radix inferior pars est, & ex ea humor sursum surgit, ita converso modo in hominis capite veluti radix est, ex qua humores in reliqua membra omnia defluunt deorsum. Atque hæc omnia ideo dico, ne quis miretur Paulum Abraham genus arbori comparasse. Hanc verò si quis verè intueri, eiusque radicem, truncum, ramos, flores, fructusque cognoscere velit, hoc Evangelium respiciat, in quo omnia pro voluptate piorum veluti spectaculum quoddam ostensa sunt. Vidit quidem & Nabuchodonosor arborem magnam & fortem nimis, & proceritas eius pertingens cœlos, cuius aspectus usque ad terminos universæ terræ, & folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia & bestię, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro. Sed hanc ubi in somnis Nabuchodonosor videret arborem, vox de cœlo veniens, dicit: Succidite arborem & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius. Et quæ illic iucunditas esse potuit, ubi tã subitus finis sequutus est? Illa quidem mudi pompam, in qua rex consedebat, significabat. Et hu-

Psal. 1.
Iere. 17.

Matth. 17.
21.

Luc. 13.

Quemadmodum enim in arbore radix inferior pars est, & ex ea humor sursum surgit, ita converso modo in hominis capite veluti radix est, ex qua humores in reliqua membra omnia defluunt deorsum.

Dan. 4.

ius sanè gloria magna videtur, sed corà iudicio non subsistit. At longè alia res hic est. Hæc sancta arbor, bona radice, mirabilis in ramis, iucunda flore, gratiosa fructu. Hanc **DEVS** plantauit, sua benedictione rigauit: unde tot hyemes rigida, tot aestates sicca, tempestates horrida, venti impetuosi, tot denique degeneres verminosi que rami hunc nasciturum ex ea arborem impedire non potuerunt. Hic liber (inquit Matthæus) generationis **IESV CHRISTI**, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Ecce radicem, Isaac genuit Iacob. Ecce truncum. Iacob genuit Iudam & fratres eius, & sic consequenter. Et hi rami arboris sunt. Postremò verò: Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, florem descripsit, de quo natus est Iesus qui vocatur Christus. Et hic fructus ille est. Quæ Matthæus breuissimè quidem inuit, nobis tamen reliqua indagandi occasionem præbuit. Etenim citò dixeris de Abraham genitus est Dauid, de Dauid Maria, de hac Christus. Sed longū tempus requisitum fuit, priusquam eò se extenderet hæc arbor. Ter mille enim annos, historiographi ab Abraham ad Christum numerant. Interea tot calamitatibus quassata est hæc arbor, ut meritò grates referamus Deo, tam diu stetit, dum huc florem, & de flore Christum genuinum fructum protulerit. Prius hanc arborem consideret à radice vsque ad florem, omnia perscrutetur, & mera Dei magnalia inueniet. Principiò enim Deus loquens Abraham dicebat: Egredere de terra tua, & de domo tua, & de cognatione tua: & veni in terram quam ego monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi. Et: benedictibus tibi benedicam, & maledictibus tibi maledicam. Et: in te benedicentur omnes gentes terræ. Hæc radix hinc Matthæus exordium sumit. Lucas verò aliquatò remotiora peruestigat, ab Adam exorsus, nec id sine ratione, id quod modò prætereo. Nunc enim in Mathæi narratione immorabimur. Hic Abraham ponit Radicem arboris, de qua nemo tantam sperasset arborem. Qui scilicet iam ambo processerant in diebus suis, nec apti amplius gignendis prolibus, Septuaginta quinque annorum erat Abraham, Sara bis decē min⁹ habebat annos, cum primum ipsis Deus loquebatur, seminisque promissionem dabat.

Gen. 12.

dabat. Sed adhuc viginti & quinque annos expectare cogeantur, priusquam sterilitate ablata filios gignerent, ita vt ipsa demum hæsitare inciperet Sara. Vt vt autem arida esset radix, virefcit tamen. Et hoc vnde? Ex benedictione & promissione Dei. Hæc, inquam, benedictio, humor & pinguedo erat, qua ita augebatur arbor, vt antè etiam quam omnino quartam generationem transcenderet 60000 homines essent. Ita augebatur crescens, sed pleraque ex parte carie erant putridi. Vnde excidebatur, & in deserto moriebatur: quosdam ignis absumpsit, alios terra, serpentes, gladius abscidit, nihilominus tamen genuinus truncus perrexit, auctus. Ab Abraham per Isaac ducta genealogia ad Dauid vsque intaminata propago mansit. In Dauid promissio renouabatur. Atque hic spes erat auctoris incrementi, quemadmodum & in Salomone pulchrè inceperat, sed mox in eodem nodos torturasque inflectere incipit, idque virus vires postea magis magisque sumebat in Roboam, Abia, Achab, Manasse, Amon, Ioathan, Iechonia, Sedechia, ita, vt Deum cōnuere tæduerit, eoque modo per Nabuchodonosor hanc arborem mutilari fecerit, vt nemo, nisi omnino actum esse de ea cogitaret. Id quod Ieremiaas & alij suis lamentationibus ostendunt. Sed natiui adhuc radicis infederat humor, vnde cum minimè speraretur, repullulauit. Post transmigrationem Babylonis, inquit Euangelista, Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Atque hæc spes magna fuit, cum genuinum germen permanfit, quocunque tandem modo rami cæteri haberent. Quanquam autem & ipsum germen admodum dubile & languidum factum fuerat, cum quotidie magis magisque deficeret, nullam potentiam, nullamue autoritatem haberet, cum rerum summa ac Machabæos, qui ex tribu leui erant, deuoluta esset. Sed & ab his ablata ad Herodem alienigenam deueniebat. Atque hæc ea rerum facies erat, vt nulla ferè spes arboris resideret. multi Herodis temporibus desperantes de Dauid atque Abraham generatione, ab Iudaismo ad Gentilismum deficiebant. Pij verò qui pauci erant numero, aliquam adhuc fouebant, spem propterea quod

*Spes in mela
Geny.*

Gen. 49.

Iacob per spiritum sanctum dixisset: Non auferetur sce-
ptrum de Iuda, neque dux de femore eius, donec ve-
niat, qui mittendus est: Et ipse erit expectatio gentium.
Quod igitur magis sceptrum à Iuda & David auferri ma-
gis videbant: eò propinquiorem esse Messiam spera-
bant. Id quod rei probauit euentus. Omnibus nihil
præter extirpationem arboris cogitantibus, ecce flos egre-
ditur. Maria nascitur, hoc in tempore hæc virgo ma-
ter, cunctorum consolationi proponitur. Atque hic pri-
mum fuit pijs dicere: Quæ est ista, quæ progreditur qua-
si aurora consurgens, ex aromatibus myrrha & thuris?
Ecce, fratres, hæc causa huius festiuitatis est. Lætatur
etiam nū hodie grates persoluimus, quod Deus hanc ar-
borem Abraham ac David progeniem tam diu seruarit, in
tot aduersitatibus & peccatis custodierit, quousque tan-
dem flos hic ex ea pullulauit, qui fructum vitæ Christi
Iesum protulit. Vnde non immeritò dicimus. Natiuitas
tua Dei genetrix virgo, gaudium annunciauit vniuerso
mundo, ex te enim ortus est sol iustitiæ, Christus Deus
noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem,
& confundens mortem, donauit nobis vitam semper-
nam. Hoc modo pij hanc sibi hodie proponant arborem,
diligenterque omnia consideret, in flore delectetur, fru-
ctum apprehendat: & recte hanc festam diem peregerit.
Gratia Dei nobiscum. Amen.

*putabant. Es-
s. d. i. a. g.
m. i. d. e. s.
m. a. s. i. o. n. e. m.
e. p. o. s. i. t. a. d. e.
r. e. d. e. t. e. p. o. r.
h. u. i. d. e. n. t. i.
v. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.*

IN FESTO DIVI MAT-
THAEI APOSTOLI, ET EVAN-
listæ. Euangelium Matthæi. 9.

*Est die qui
f. l. d. i. d. e. s. m. i. d.
f. l. d. i. d. e. s. m. i. d.
d. u. o. n. e. d. m. o. r. t. i. s.
v. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.*

ET cum transiret inde Iesus, vidit homi-
nem sedentem in telonio Matthæum no-
mine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens
sequutus est eum, & factum est discubente eo in do-
mo, ecce multi publicani & peccatores venien-
tes discubebant cum Iesu & discipulis eius: Et vi-
dentes pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare
cum

*V. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.
m. o. s. t. r. a. b. o. h. i. b. i.
d. u. o. n. e. d. m. o. r. t. i. s.
m. i. d. e. s. m. i. d.
e. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.
o. s. t. e. n. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.
f. u. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.
h. u. i. d. e. n. t. i. a. d. q. u. i. d. e. n. t. i. a. d. p. i. q.*

g. a. b. e. l. i. s. o. f. f. e. n. d. i. t. u. r. p. r. o. 4